



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomae

Cvm Variis Indicibvs

De Deo Effectore, Creaturarvm Omnivm Tractatvs II. De Opere Sex
Diervm, Ac Tertivs De Anima

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1622

XI. Quodnam sit potentiæ nutritiue subiectum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93575](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93575)

bus perfectis. Quare Scotus hanc efficientiam, se-
mini denegauit, eamque tribuit calo. Sed eadem
difficultas urget de calo, quod naturaliter agit,
nec nisi calefaciendo, vel exsiccando. Galenus er-
go, vt etiam 2. Phisicorum dixi, diuinam (inquit)
hanc esse virtutem, & que procedere nisi ab aliquo habente
intellectum nequeat. Quod etiam Trimegisti. apud
Eugubinum c. 3. aperte sentit, dicens, *cognitio d filii ho-*
minem in vtero materno compositum, Cotamque opificii
artem diligenter perpende, & discite quis sit opifex, qui hanc
hominu pulchram, diuinamque imaginem fecerit, quis oculo
formauerit, quis naves & aures terebrauerit, quis aper-
uerit, qui nervos tetenderit, aspice quot artes vnius mate-
ria, quot opera vna circumscriptio, diuinamque pulchra,
cunctarum mensura, cunctarum coorsum, quis hac omnia fecit,
que mater, quis pater, nisi inuisibilis Deus, qui sua voluntate
cuncta operatus est. Ego quidem certo hanc vir-
tutem esse altissimam, & multum ab alente di-
stinctam, quod etiam dictus Galenus libr. de for-
tium formatione asserit: attamen quid sit, & quo-
modo operetur, non assequor.

De virtute vero formatiua spiritus inclusi in se-
mine arbitror non esse distinctam ab anima viu-
entis generantis, si loquamur de virtute inductiua
forme substantialis, si autem loquamur de virtute
dispositiua, illa est calor vitalis, & cordis dispo-
nens materiam ad productionem spirituum vita-
lium, & ideo Arist. 2. de gener. animal. c. 1. aperte as-
serit virtutem formatiua seminis esse calorem
naturalem. Non esset etiam improbabile putare
illam virtutem esse qualitatem aliquam distin-
ctam, & perfectiorem, sed in ea re nihil habeo cer-
tum, & exploratum. Ex his omnibus colligitur
diuisionem potentie vegetatiua, quae tradi solet
in nutritiua, augmentatiua, & generatiua,
non esse sumendam tanquam impotentias distin-
ctas realiter, sed potius dari ad explicandum actus
omnes animae vegetatiua.

CAPVT XI.

Quodnam sit potentia nutritiua
subiectum.

In hac quaestione non quaerimus an sit in mate-
ria, vel in toto composito nutriendi virtus, nam
quid de hac re sentiendum, alibi diximus. Quaestio
ergo est, in quibus partibus viuientis residet? Qui-
dam sentiunt talem potentiam non subiectari in
parte aliqua viuientis, eo quod alteret eas omnes,
vnde in aliqua earum esse nequit, alias pars viu-
entis alteraret seipsam: sed hac sententia impossi-
bilis est, quia nutriendi potentia est temperamentum
viuientis, vt supra est ostensum: ergo in ipso
viuente residet. Quod si contendas esse proprietatem,
quae animam comitatur, melius concludit
argumentum. Nam omnis proprietates consequens
formam debet esse in habente formam. Ad hac ac-
tio nutritiua intrinseca est ipsi viuenti, si autem
potentia illa esset in subiecto non viuente, extrin-
seca esset viuenti, consequenterque nutriendi actio
esset illi extrinseca, nam illius est actio, cuius est
potentia: non esset ergo actio vitalis, neque seipsum
uiuens nutrirer: certum ergo sit dictam poten-
tiam esse subiectiue in viuente.

Sed quaestio restat, an sit in toto, an in parte,
quam quaestionem indecisam videtur reliquisse
Aristotel. libr. de spiritu, capite tertio. At in secun-
do de generatione anima, l. cap. quarto, & de iu-
uentute, & senectute l. capite quarto, quaestionem
definit, dicens nutriendi potentiam esse in corde,
vel in parte proportionali quoad animantia, quae
cor non habent: ab illaque communicari partibus
alijs. Sequitur etiam Auicenna Fen prima primae,
doctrina 6. cap. 1. Porro illam communicationem

Francisc. Suarez de anima.

explicant aliqui fieri per spiritus naturales, Gale-
nus tamen libro sexto de placitis, virtutem nutri-
tiam, quam naturalem vocat, in hepate collocat,
sequeutus Platonem dialogo de Natura. Idem te-
net Albertus secundus de Anima, tractatu secun-
do, capite nono.

Circa has sententias supponamus id, in quo co-
ueniunt, membra omnia augeri, & nutriri. Quod
ostendimus in primo de generatione, ex eo, quod
omnia alimentum alterant, & conuertunt in sub-
stantiam suam. Vnde satis liquet non esse ibidem
omnino agens, & patiens, quod prima opinio opo-
ponebat. Secundo conueniunt quod in omni par-
te, quae vitaliter nutritur, sit intrinseca virtus ad
se nutriendum. Ita Aristoteles libr. de iuuentute,
& senectute, capite secundo, dicens omnes partes
a primis vitae rudimentis internum, & natium
calorem habere, quo cibum conuertit, idemque
colligitur ex 6. de historia, cap. 3. ex 2. de partibus,
cap. 4. ex 1. de generatione animalium, cap. 18. & ex
libro secundo, cap. 1. Consentit Galenus locis su-
pra citatis. Acceditque ratio, tum quia nutritio ac-
tio vitalis est ab intrinseco principio procedens:
cum ergo omnia membra nutriantur, omnia ha-
bent intrinsecum principium nutritionis. Tum
quia quoduis membrum informatur anima, atque
etiam fortitur praecipuum temperamentum, item
potentiam attrahendi, & retinendi alimentum:
haec vero sola sunt principia nutritionis: ergo,
&c.

Ex quibus sequitur prima conclusio. Virtus nu-
tritiua non est determinata ad aliquod membrum
particulare, sed diffusa per membra omnia, quae
proprie vitaliter nutriuntur. Haec, inquam, ex di-
ctis satis habetur. Dixi tamen, quae proprie vitaliter
nutriuntur, ad excludendum nonnulla, quae in ani-
malibus propriam nutritionem non habent, sed
augentur per extrinsecam additionem, in quibus
proinde non est anima, neque propria virtus nu-
tritiua, quid autem in viuentibus vitaliter, vel
non vitaliter nutriatur, intelligendum ex modo
alimenti, an scilicet fiat secundum omnes partes,
conseruando eandem figuram, & proportionem,
quam exigit natura vniuscuiusque partis: tunc e-
nim nutritio vitalis erit: si vero non nisi per addi-
tionem nouae partis ad aliquod extremum fiat,
tunc nutritio, & impropria est, ac veluti mortua.

Et hinc colliges in arbore proprie nutriri radi-
ces, truncum, ramos, folia, & fructus. Nam omnia
haec habent distinctum modum nutritionis. In
animali etiam alio, atque alio modo nutriuntur
proprie caro, nerui, membranae, venae, arteriae, &
similia, imo etiam diuersimode sentiunt: ossa i-
tem proprie nutriuntur, & animam habent, vt
experientia demonstrat. Vnde Aristotel. 2. de par-
tibus, cap. 6. tribuit ossibus in alimentum medul-
lam, aitque habere teporem, id est, calorem remif-
sum. Similiter, & dentes nutritiua vendicant,
vt patet ex proprio sui augmenti modo, & conti-
nuitate cum alijs partibus viuientis, de quibus
proinde Aristoteles secundo de generatione ani-
malium, cap. 4. scripsit eiusdem esse naturam cum
ossibus. Idem est iudicium de cartilagine, quae pa-
rum ab osse differt, vt secundo de partibus, cap. 9.
dicitur, & tertio de histor. cap. 8. Quod etiam opi-
nor de vnguibus: sunt enim propriissime partes
animalis, ac per se ordinatae ad quandam vitalem
actionem, nempe ad firmiter apprehendendum,
vt Galenus obseruat primo de vsu partium, in
principio. Adde vngues crescere secundum omnes
partes, seruata eadem figura, & proportionem in-
star aliorum membrorum, vnde reuulso forte
vngue alter paulatim generatur non minus, quam
os, vel neruus: atque haec est sententia Galeni de
anatomicis administrationibus, cap. vlt. in fine,
& Diui

Tertia opi-
nio Galeni,
ex Platone,
quam sequi-
tur Albertus.

3
Duo in qui-
bus conue-
niunt dua
prima opi-
niones.

4
Prima as-
serio, & v-
nde constat.

5
Corollarium
de vitalitate
partium in
plantis, &
animantibus.

Vide aucto-
rem ad 3. p.
tomo 1. diff.
15. sect. 7.
Contineb. l. 1.
de gener. c. 4.
q. 23. qui a-
liis refertur.

addit tamen eum arteriarum sanguinem participari à venis, vnde solum à corde pendet quoad maiorem calorem, subtilitatem, accidentalemque perfectionem.

Sed quæret aliquis, an sanguis possit ab alio, quam ab hepate generari. Ex dictis enim negandum videtur, ideo namque dicitur hepar primum nutritionis principium, quia est fons sanguinis, quod simpliciter verum non esset, si posset alibi generari. In hoc dubio medici conueniunt sanguinem in venis etiam generari: de modo autem, & principio, à quo fiat, dissident. Quidam aiunt generari ab hepatis virtute ibi transmissa per quosdam spiritus naturales. Quæ sententia mihi displicet, quia superflua, & contra Galenum l. 1. de locis patientibus, ubi in virtutibus naturalibus humifmodi influxum diserte negat. Et ratio est, quia omnia instrumenta nutriendi naturaliter operantur per temperamenta sua ad assimilationem materię, in quam agunt: non ergo vim illam aliunde mutantur. Alij fatentur fieri sanguinem à venis per propriam ipsarum virtutem, quod etiam falsum est, quia temperamentum venarum dissimile est à temperamento sanguinis. Dicendum est ergo venam non generare sanguinem, hunc tamē posse alium in venis procreare, quod probatur, nam sanguis actius est, cum sit calidus, & humidus: ergo potest generare sibi simile ex pituita, vel alio humore sibi in venis admixto, quod facilius continget, si sanguis iuuetur à calore partium adiacentium: & adhuc perfectius in venis hepatis vicinioribus propter vberiorē illius sanguinis calorem ex ipsius hepatis vicinia, quemadmodum indicat Galenus 4. de vsu partium, cap. 17. & libr. 5. de locis patientibus, cap. 7. hoc autem non tollit, quod hepar sit primum principium nutritionis, cum absolute totus sanguis ab illo doceat originem, sicut vinum originem ducit à vite, licet in dolio possit gutta aquę in vinum verti, actione vini in dolio contenti.

C A P V T XII.

Quidnam sit subiectum generatiue potentie.

HÆc quæstio per quędam dubia melius, & breuius resoluetur, quorum primum est, an hæc potentia in omnibus viuientibus, aut tantum in quibusdam inueniatur. Dicendumque in quibusdam tantum dari: quoniam actio generandi à quibusdam tantum potest exerceri: ergo potentia tantum reperitur in illis: potentia vero ibi tantum reperiri potest, ubi & actus. Instabis, omnia viuientia habent calorem naturalem, potentia autem seminis elaboratrix, ipse est naturalis calor: ergo, &c. Occurrendum non quemlibet naturalem calorem esse productum seminis, sed attemperatum, qualem non obtinent quilibet viuientia sine discrimine. Ad hæc naturalis calor primo decoquit alimentum ad nutritionem viuientis requisitum: inter viuientia vero sunt, quibus tantum suppetit facultas præparandi, quod ad propriam sustentationem, & conseruationem sufficit ergo, &c.

Secundo dubitari potest, an generandi potentia solis viris insit, an etiam fœminis? Aristoteles 1. de Generatione animalium, cap. 2. & 20. & 15. de animalibus, cap. 25. & 26. sentit solum inesse viris, ait enim virile semen totam efficientiam in generatione sortiri, fœminam vero semen non emitte- re, sed ministrare materiam, oppositum docuerat Hippocrates lib. de Genitura, & lib. de animatio- ne fœtus, cui accessit Galen. lib. de spermate. Nos hanc quæstionem tetigimus 2. Phisicorum, q. 3.

ubi Hippocratis opinionem probabiliorē cen- sumus. Vnde addimus potentiam generatiuam esse eiusdem rationis in maribus, & fœminis. probaturque ex dictis suprā. Nam potentia genera- tiua duo efficit in femine, crassam scilicet substan- tiam, & spiritum in ea complantatum: potentiam ad primum cōstat communem esse, cum substan- tia illa non aliud sit præter sanguinem digestum, & decoctum ad nutritionem quorundam mem- brorum: in fœminis autem virtus est ad coquen- dum sanguinem illo modo, cum illum interdum emittant: ergo, &c. Quod deinde possint femini vim effectiuam imprimere probatur: quia fortasse non possent ex defectu natiui caloris, quod falsum esse constat, cum fœminę sæpe sint calidiores vi- ris: vnde citatus Hippocrates scribit fœminas e- mittere interdum calidius semen, & efficacius, quam viros, effectusque ipse comprobatur, nam sæpe filij simillimi matribus nascuntur, quod non nisi ad virtutem effectiuam referri potest. Nam si- militudo prouenit ex forma inductiua: effectus ergo assimilatur inducenti: ergo mater actiue concurrat, & de his satis.

Superfunt tamen argumenta duo, Theologi- cum vnum, Phisicum aliud. Theologicum est non videri necessarium, vt mater semen ad prolem e- laboret, illudque suppetit generando ne alio- quin virgini matri, quę Christum Dominum ve- rissime genuit, prædictas actiones attribuire co- gamur, quę tantę integritati videntur derogare. Sed hac de re suo loco. Secundum argumen- tum phisicum, quoniam si fœmina habet vim ef- ficienti senten, se sola posset concipere, & genera- re: nam intra se habet materiam, ex qua habet et- iam vim actiuam: ergo non est necessarium virile semen. Respondetur, licet possit fœmina se- men procreare, non tamen adeo efficax, vt suffi- ciat ad formationem fœtus sine commixtione vi- rilis seminis. Adde, si complexio fœminę minus calida sit, semen quoque minus erit sufficiens: si ve- ro nimis calida, fortius quidem semen suppetita- bit, materia tamen ad generandam prolem mi- nor erit ob vim caloris nihil superflui ex alimen- to relinquentis.

Iam tertio dubitabit aliquis, quę nam viuē- tia generandi potentia destituantur. Aristoteles 2. 3. Dubium. de Anima, cap. 4. docet productionem sui similis conuenire viuētibz perfectis, si membris debi- tis orata non sint, quorum est proprium ex femi- ne oriri. Tria ergo videtur postulare in viuente, vt possit generationem exercere: primo vt sit perfe- ctum, id est, in ætate sufficiente ad illum actum. Secundum est, ne viuens sit orbatum, aut natura- liter impeditum, quales execti, frigidi, & similes, de quibus Aristoteles 3. de historia, cap. 1. & 2. & 5. de Generatione. cap. 7. & sect. 10. problematum, quæst. 25. huiusmodi sunt viuētia, quę in tota specie carent hac virtute, recensetque Aristotel. 3. de gener. animal. cap. 6. Tertium requisitum est, vt viuens ex femine productum fuerit, quod vide- tur addidisse ad differentiam eorum viuētiũ, quę ex putrefactione, vel ex mixtione elementorũ absque femine generantur, de quibus ipse a- git 5. de hist. cap. 1.

Vnde innuit animalia ex putrefactione genita non habere virtutem sibi simile generandi, atque adeo specie distincta esse ab ijs, quę fiunt ex femi- ne. Idem insinuat 2. de generatione animalium, cap. 1. ubi Commentator id affirmat, indicatque D. Thom. in 1. distinct. 10. artic. 5. de verit. quæst. 12. cum genitũ artic. 2. ad 4. de potentia, quæst. 3. artic. 11. ad pri- mum, & aperte Iandunus 7. Metaph. quæst. 14. Sed quid in hoc sentiendum sit, diximus in 2. Phisico- rum, tractaturque libr. 7. Metaph. ubi Sencinas q. 1. Iauellus quæst. 11. Antonius Andreas quæst. 8.

Obiectio pri- ma contra superiorē doctrinam, de qua vide autorem tom. 2. in 3. p. dist. 10. Obiectio 2.

4. Dubium.

Tria ad vim generandi necessaria. Primum. Secundum.

Tertium.

5. Angenia ex puri mace- ria eiusdem speciei sunt ex femine, de qua vide Conimb. 1. de calo c. 3. q. 7.